



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Judicium Ecclesiasticum Seu Decretalium Gregorij IX.  
Pont. Max. Liber II.**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Ingolstadii, 1726**

§. VIII. De Effectibus Appellationis, & Attentatis post illam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74990)



## S. VIII.

## De Effectibus Appellationis, &amp; Attentatis post illam.

## SUMMARIUM.

108. Effectus Appellationis duplex est, Suspendivus, & Devolutivus.

109. 110. 111. 112. An semper operetur utrumque effectum?

113. In quibus causis per Appellationem suspendatur Jurisdictio Judicis à quo?

114. An Judex, à quo in una causa est appellatum, tanquam suspectus idcirco recusari possit quoad alias.

115. 116. 117. 118. Quenam Judex à quo possit circa ipsam causam, à qua est appellatum, quin vitium attentati incurrat?

108 **Q**uæritur 1. quis sit Effectus Appellationis à Sententia Definitiva legitime interposita? R. duos celebres Effectus habet, quorum unus Devolutivus, alter Suspendivus dicitur.

*Devolutivi Effectus* videtur operatur Appellatio, quòd causa, super qua appellatum est, ejusque cognitio cum omnibus accessorijs ab inferiore Judice devolvatur ad Superiorem, ad quem est provocatum, & huic tribuat jus, ac potestatem de causa cognoscendi c. dilectis 55. & ibi Gloss. V. principale, c. ut debitus 59. in fin. & ibi Gloss. V. alioquin h. tit. c. Romana 3. S. si verò 3. eod. in 6.

*Suspendivi vis* in eo consistit, quòd per eam suspendatur Jurisdictio Judicis à quo, à, ut sententiam à se latam, pendente Appellatione, executioni mandare non possit, sed in eo statu omnia relinquere debeat, in quo statu fuerunt tempore Appellationis interpositæ c. directe 39. h. tit. c. venientes 19. princ. de Jur. Jur. l. un. ff. nih. innovar. appell. interpos. l. accusatorum 1. §. fin. ff. ad S. C. Turpill.

Addi his potest Effectus tertius, *Remedium Attentatorum*; quo revocari debent non tantum ea, quæ pendente Appellatione, innovata sunt, sed etiam illa, quæ attentata sunt ante interpositionem Appellationis post sententiam latam intra tempus decendij c. non solum 7. princ. h. tit. Attentata dicuntur; quia, quæ ita facta sunt, non valent ut vere facta, sed habentur tanquam conatus ad faciendum imperfecti, sive tentata, num fieri possent. Pirh. hic n. 245.

109 **Q**uæritur 2. an semper Appellatio operetur Effectum tam suspendivum, quam devolutivum? R. negativè; nam interdum non habet Effectum suspendivum, sed devolutivum tantum: idque in duplici maxime casu. *Unus* est, si appelletur à sententia nulla; nam per talem Appellationem sententia prioris Judicis non suspenditur, quippe quæ omnino non subsistit, & nullius roboris est, devolvitur tamen causa ad Judicem Superiorem, ad quem est appellatum: & hoc sensu dicitur appellari posse à sententia

119. 120. 121. Quid requiratur, ut revocari possint, & debeant Attentata?

122. 123. Quenam Attentatorum nomine sint revocanda?

124. An Attentatorum remedium locum habeat etiam in Extrajudiciali Appellatione?

125. Discrimen triplex inter Appellationem Judicalem, & Extrajudicalem.

126. 127. 128. Que sint privilegia vi Attentatorum competentia?

129. Quando, quomodo, & coram quo Judice peri revocatio attentatorum possit?

nulla, Abb. in Rubr. h. tit. n. 5. & in c. dilecto 63. eod. n. 2. Sylvest. V. Appellatio n. 1. Pirh. hic n. 237.

*Alter*, quando appellatur à sententia Censuræ Ecclesiasticæ; nam hæc per Appellationem subsequentem non suspenditur, si sit absolute inflicta (quia statim ligat, cum trahat secum executionem c. ad hæc 37. c. pastoralis 53. §. verum h. tit. & c. is cui 20. in fin. de sent. excomm. in 6.) causam tamen transfert ad Superiorem, ad quem est provocatum. Ita cum cit. Gloss. in c. ad hæc cit. V. interdictum, Barb. ibid. n. 5. Gonz. n. 3. Wiest. n. 3.

*Dixi*, Si sit absolute inflicta; nam si ita

lata solum sub conditione sit, multum refert, an lata sit ante conditionis eventum, an vero eam impletam.

*Si hoc secundum*, Censura effectum suum statim consequitur; quia transit in absolutam, & secum trahit executionem, ita, ut ab illa appellari nequeat etiam intra decendium §. verum cit. Suar. D. 3. de Censur. sect. 6. n. 4. Pirh. hic n. 234.

Excipitur, nisi Censura lata sit sub conditione ipsius Appellationis, & Judex dicat, Si appellaverit, sit excommunicatus; tunc enim, cum ante Appellationem non incurrat Excommunicatio, post Appellationem autem suspensa sit Jurisdictio Judicis, qui sententiam ita conditionatam tulit, etsi appellet, Excommunicationem non incurret. Abb. in c. præterea 40. h. tit. n. 15. Sylv. V. Excommunicatio 2. n. 16. Pirh. hic n. 236. saltem attenta propria significatione verborum, & nisi aliter præsumi possit ex mente excommunicantis, quòd intendat ligare Censuram etiam ante actum Appellationis perfectum.

*Si primum*, sententia Censuræ per Appellationem sic interpositam suspenditur, ita, ut non contrahatur, sive conditio, sub qua lata est, servetur, sive non servetur, prout dicitur, c. præterea 40. cit. & ratio est, quia non potest quis censuram incurere, nisi obligetur sententiæ, seu præcepto exequendi id, quod sub censura ipsi præcipitur. Atqui appellans à Censura sub conditione lata non obligatur præcepto, seu sententia Judicis; si enim obligaretur, obligaretur vel ante con-



ditionis eventum; & hoc fieri non potest, cum ab ejusdem eventu pendeat sententiæ obligatio: vel post eventum, & tunc per Appellationem prius factam Jurisdictio Judicis, seu Excommunicatoris jam fuit suspensa, adeoque etiam sententia Censuræ. *Neque obstat*, quod aliàs dispositio conditionalis, impleta conditione, retrahatur ad tempus, quo facta est, ut proinde idem sit, ac si ab initio sine conditione fuisset facta; nam retrahatio hæc solum fit, quando disponens id vult, aut velle potest, aut saltem debet. At in nostro casu Judex, qui censuram infligit sub conditione e. g. si Titius intra 20. dies non satisfecerit, vel restituerit, non vult, nec velle potest, ut impleta conditione sententia Censuræ retrahatur ad tempus, quo lata est; nam Censura inferri non potest, nisi præcedat transgressio, vel contumacia, quam non incurrit ante 20. dies elapsos, & à Judice sibi præfixos.

¶12 Procceditque hoc, etiamsi à sententia Censuræ sub conditione latæ appellatum sit post elapsos 10. dies; nam modò conditio adhuc pendens sit, & nondum impleta, per Appellationem interpositam suspenditur Censura. *Gloss. in c. præterea cit. V. impedire. Covar. in c. Alma p. 1. §. 10. n. 4. Suar. D. 3. de Censur. sect. 6. n. 4. Pirh. hic n. 234.* & constat ex *c. præterea cit.* nam ibi absolute, & indefinite dicitur, medio tempore inter latam sententiam, & eventum conditionis appellari posse, ita, ut Censura non incuratur. *Ratio est*, quia qui præcipit aliquid sub Censura incurrenda, nisi id fiat, quod præcipit, pendente conditione continuò gravat, & ideo semper à tali gravamine appellari potest, etiam post tempus præfixum ad appellandum, donec impleatur conditio. *Neque obstat*, quod ab alijs sententijs sub conditione latis appellari nequeat, nisi intra decendum *l. siquidem 1. §. biduum 5. ff. quand. appelland.* Disparitas est insinuata *n. præc.* quia sc. in alijs sententijs eventus conditionis retrahitur ad tempus, quo sententia lata est, ac si ab initio fuisset absolute lata; quod secundum dicta *n. cit.* fieri non potest in Censura sub conditione lata.

¶13 Quæritur 3. in quibus causis per Appellationem suspendatur Jurisdictio Judicis à quo? *Re.* in ea solum causa, in qua appellatum est; nam in alijs ab ea diversis tam criminalibus, quam civilibus causis Judex à quo contra appellantem procedere permittitur *c. præterea 22. & c. proposuit 24. h. tit.* *Ratio est*, quia per Appellationem appellans non eximitur à Jurisdictione Judicis Ordinarij, nisi in ea causa tantum, in qua appellatum est *c. cum teneamur 17. h. tit. & Gloss. in c. proposuit cit. V. in alijs.*

¶14 Dubium est inter DD. an Judex, à quo in una causa est appellatum, tanquam suspectus idcirco recusari possit etiam quoad alias. *Affirmant Gloss. in c. proposuit cit. V. non debet. Marant. de Ord. Judic. p. 6. tit. de*

*Appell. n. 61. propter textum c. proposuit cit. & c. ad hæc 6. h. tit.* *Negant Abb. in c. proposuit cit. n. 2. & Felin. ibid. n. 1. propter non minus clarum Rubricam, & l. un. ff. apud eum, à quo appellatur, aliam causam agere compellendum.* *Mediam viam invenit Bartol. in l. un. cit. & recusationem hoc casu permissam esse negat de Jure Canonico, de Jure Civili affirmat concessam ob textum utriusque Juris cit.*

*Gonzal. in c. ad hæc cit. n. 2. cujus interpretationem approbat etiam P. Wiest. hic n. 130. & 131. in concordiam reducere nititur Jus utrumque, dum ait, neutro Jure Judicem à quo, sola appellatione interposita, suspectum reddi, nisi sententia ab eo late injulitia notoria sit, aut alijs indicijs prodatur odium unius partis litigantium, amoris alterius. *Rationem dant*, quia Appellatio sola non est justa causa offensionis, cum per ipsam Judici nulla injuria inferatur *l. & in majoribus 20. C. h. tit. Conf.* quia si recusari posset tanquam suspectus, recusari posset vel ante Appellationis exitum, vel post illum. *Non ante*; quia adhuc ignoratur, an bene, vel male sit judicatum, & sic imprudens suspicio offensa est. *Non post*; vel enim postea pronuntiatur, male fuisse appellatum, bene judicatum, vel contra bene appellatum, male judicatum. *Si primum*, ipsa causa appellationis ad Judicem à quo remittitur; & conf. non est ratio, cur in alijs causis recusatur. *Si secundum*, sæpe sententia reformatur, non quod Judex à quo imperite, vel iniq̄ue pronuntiaverit, sed quod pars succumbens, omisis, quæ allegare debuit, jus & intentionem suam non satis probavit, & conf. iterum non est prudens offensa suspicio.*

Quæritur 4. quamnam Judex à quo; ipsofit circa ipsam causam, à qua appellatum est, quin vitium Attentati incurrat? *Re.* hic regulam generalem esse, quod Judicis à quo circa causam, in qua appellatum est, liceant omnia, quæ Appellationem juvant, & ad faciliorem illius exitum tendunt, vel saltem non tendunt in illius præjudicium. Et hinc

1. Potest Judex à quo citare appellantem ad audiendam revocationem gravaminis, & tunc appellans tenetur coram ipsius Tribunali comparere; alioquin si non comparuerit, & Judex à quo in termino præfixo gravamen revocaverit, liberè potest in causa procedere, tanquam contra contumacem, perinde ac si appellatum non fuisset *c. si à Judice 10. h. tit. in 6.* *Ratio est*, quia tunc cessat gravamen; conf. etiam Appellatio, quæ effectus gravaminis est, cessare debet.

2. Potest pendente Appellatione præfigere terminum appellanti, inhibere partibus, ne interea quidpiam attentent, vel immutent, super ipsis Attentatis Ordine Judiciario summarie cognoscere, & quæ male attentata, vel innovata sunt, revocare &c. *c. cum teneamur 17. h. tit. Abb. ibid. n. 1. Vall. hic*



*hic §. 17. n. 6. Pirh. n. 222. & Canonistæ communiter.* Ratio est, quia hæc omnia ad faciliorem exitum causæ Appellationis tendunt.

**116** 3. Licet post Appellationem legitimè interpositam excommunicare Appellantem Judex à quo nequeat, potest tamen sententiam Excommunicationis, vel alterius Censuræ à se latam, non obstante Appellatione ab illa, denuntiare, & publicare Appellantem excommunicatum, ut ab alijs vitetur; quia denuntiando nihil innovat, cum Excommunicatio executionem post se trahat *c. Pastoralis 53. §. verum h. tit.* Item potest eundem privare fructibus sui Beneficij, & Distributionibus; quia ex quo exemptus est à communione Fidelium, & Ecclesiæ, non debet ex fructibus ejus alimentari, *Abb. in §. verum cit. n. 1. §. 17. Vall. §. 17. cit. n. 4.*

4. Si excommunicatus, vel interdictus personaliter ob contumaciam, vel aliam causam, appellavit ad Papam, vel alium Judicem superiorem, potest eo non obstante, Judice à quo abolutionem petere, salvâ Appellationis causâ, eamque abolutionem Judex, qui excommunicavit, recepta prius sufficienti cautione, conferre potest, & debet, licet Adversarius contradicat, & appellet, ne absolvatur *c. qua fronte 25. h. tit.* Ratio est, tum quia per hujusmodi abolutionem ab excommunicatione factam ab eo, qui excommunicavit, non impeditur cursus Appellationis; & sic nihil decedit Adversario, contra quem appellatum est, cum huic sufficienter provideatur per cautionem de parendo Juri: tum quia sic consulitur animæ ipsius Excommunicati, ne, priusquam causam Appellationis prosequatur, in Excommunicatione extra communionem fidelium debeat; & in hoc etiam Adversario prodest Absolutio, ne interim vitetur: id autem, quod tendit ad faciliorem exitum Appellationis, potest facere Judex à quo juxta dicta *n. 115.*

**117** 5. Potest Judex à quo, pendente Appellatione, in quibusdam casibus procedere ad executionem suæ sententiæ. Et talis est 1. si Appellatio sit manifestè frivola, modo ei non detulerit *c. cum appellationibus 5. h. t. in 6.* 2. In notorijs: ideòque dicitur notoriè criminofum non esse audiendum *c. proposuit 24. h. t.* 3. in casibus, in quibus de Jure appellare non licet *c. non solum 7. & ibi Gloss. V. casibus eod. in 6.* 4. In casibus, ubi statuta, vel Jura concedunt paratam executionem, nisi appellans alleget justam aliquam causam, ob quam admitti debeat Appellatio. *Gloss. in c. Romana 3. §. si autem eod. in 6.* 5. Appellatio in possessorio non retractat executionem Jure Civili *l. un. C. si de moment. possess. Gloss. in c. cum ad sedem V. interdium de restit. spoliat.*

6. Potest innovatio fieri contrarium, etiam super eadem re, si nihil interfit appellantis eam fieri, vel non fieri. E. g. si ex duobus correis debendi in solidum unus

conventus, & condemnatus appellaverit, non obstante ea Appellatione, alius conveniri, & adversus eum Judex æquè procedere potest *l. creditor 60. princ. ff. mandat.* quia res inter alios acta alijs non præjudicat. *Gaill. l. 1. obs. 144. n. 9. Vall. §. 17. n. 2.*

7. Pendente Appellatione, potest possessor frui commodis suæ possessionis, eamque continuare; quia per Appellationem possessor istâ non exiit. *Vall. §. 17. cit. n. 3.*

8. Judex à quo taxare potest expensas, ad quas condemnavit: quia tunc non censetur innovare, sed potius declarare pronuntiata. *Vall. n. 6.*

9. Partes possunt non proposita proponere, & non probata probare, atque exceptiones opponere, modo tamen actionem, & causam, coram Judice à quo propositam, respiciant, & ei connexa sint *l. per banc 4. C. de temp. Appell.*

10. Denique Appellatione pendente, ea fieri possunt, quæ fieri poterant, pendente causa principali, modo si actus Judiciales sint, fiant à, vel coram Judice, qui quoad illos actus est hic & nunc competens. *Vall. n. 3.*

Quæritur 5. quid requiratur, ut re vocari possint, & debeant attentata post Appellationem? *n. hic distinguendum est inter sententiam definitivam, & Interlocutoriam.* Si appellatum sit à sententia definitiva, vel Interlocutoria vim definitivæ habente, sufficit, si fuerit appellatum legitimè: unde si petens attentata revocari, tria hæc probaverit, sc. esse definitivè pronuntiatum, esse appellatum, & postea attentatum, vel innovatum aliquid, audiri debet à Judice ad quem, & ante omnia revocari, quæ interim acta sunt: neque necesse est Appellationem esse justificatam, vel ut constet, aut probetur causam appellandi veram, & legitimam esse.

At si appellatum sit ab Interlocutoria simplici, requiritur, ut Judici à quo à Judice Superiore canonicè inhibitum sit, ne ulterius in causa procederet: ut verò inhibitio hæc Canonica sit, præmittenda est justificatio Appellationis, seu ostendendum, quod appellandi causa justa, & rationabilis fuerit, & sic causa ipsa per Appellationem devoluta ad Superiorem *c. non solum 7. §. illa h. t. in 6. Gloss. ibid. V. ante definitivam, Franc. n. 50. Covar. pract. c. 24. n. 1. Pirh. hic n. 243. Wiest. n. 133.*

Ratio differentie istius est, quia per sententiam definitivam finitur officium Judicis à quo, ejusque Jurisdictio statim, ubi à tali sententia appellatum fuerit, suspenditur, causaque tota ad Judicem ad quem devolvitur, sine ulla justificatione causæ appellandi. At verò in Appellatione ab Interlocutoria exprimenda est causa rationabilis, propter quam



quam appellatur, eaque probanda est, ut suspensa sit Jurisdictio Judicis inferioris, à quo provocatum est.

**222** Queritur 6. quanam Attentatorum nomine sint revocanda? R. hic iterum distinguendum est inter Appellationem à Sententia Definitiva, & inter Appellationem ab Interlocutoria. Si à definitiva, vel Interlocutoria definitiva vim habente appellatum sit, revocanda sunt omnia, quæ à tempore interpositæ appellationis, undè etiam ante illam intra decendum, quo appellari potuit, in præjudicium Sententiæ, & causæ Appellationis sunt innovata c. sollicitudinem 54. h. tit. Si verò appellatum sit à sententia Interlocutoria simplici, causâ justificatâ, non omnia, sed ea tantum acta Judicis à quo revocantur, quæ post Canonicam inhibitionem sunt attentata. Franc. in c. non solum cit. n. 5. Laym. ibid. n. 3. Barbof. n. 3. Wiest. hic n. 133. Excipitur, nisi Judex à quo Appellationi statim detulisset; cum enim eam admittendo à se abdicet Jurisdictionem, eaque tam super causa principali, quam super articulo Appellationis in Superiorem transferatur, postea ab ipso acta in irritum revocanda erunt, quantumvis inhibitiō facta non sit, Gloss. in c. non solum cit. V. nisi Judex, Gaill. l. 1. obs. 144. n. 3. Pirh. hic n. 244. in fin. Wiest. n. 133. cit.

**223** Procceditque hoc, sive à Judice, sive à partibus aliquid attentatum sit. Joan. Monach. in c. cupientes n. 132. de elect. in 6. Vall. §. 1. 5. n. 9. hic. Pirh. n. 249. Multum tamen refert, an Judex à quo, an verò partes, & quanam illarum attentet aliquid; nam si ipse Judex, aut pars appellata, pendente Appellatione, attentent aliquid, vel innovent, præterquam quòd acta revocari, & cassari debeant, etiam in expensis appellanti præstandis condemnantur. Si verò pars appellans, considerandum, an id, quod attentatur, sit immediatè contrarium Appellationi propriæ, an verò non. Si secundum, Attentata revocari debent. Si primum, non revocantur, sed Appellationis favore privatur appellans; quia dum propria autoritate jus sibi dicit, Judicem appellationis contempnissè censetur, adeoque beneficio Appellationis indignum se reddit; frustra enim invocat auxilium Legis, qui committit in Legem c. bonæ 23. de Elect. l. auxilium 37. in fin. ff. de Minorib. Vall. hic §. 15. n. 9. Pirh. n. 249. quin & attentando aliquid contra primam Appellationem, censetur eidem renuntiâsse, eamque deseruisse. Quare hoc casu sententia, à qua appellatum est, statim transit in rem judicatam, ita, ut Judex à quo, perinde, ac si appellatum non esset, ad executionem possit procedere c. cum sit 3. h. t. Neque hoc casu opus est, ut appellatus exhibeat Libellum, & petat sic attentata revocari, sed sufficet, si ijs probatis, postulet, ut Judex Appellationis causam tanquam desertam pro

executione ad Judicem à quo remittat. Gaill. l. 1. obs. 146. n. 11. & seqq. Vall. Pirh. l. cit.

Queritur 7. an Attentatorum remedium locum habeat etiam in Extrajudiciali Appellatione? R. affirmativè; nam etiam hæc revocanda sunt, si appellatum sit legitime, ut colligitur ex c. bonæ 51. h. t. & notant ibid. Gloss. V. in eum statum, Abb. n. 10. §. 19. Alex. n. 55. Pirh. hic n. 252. & 253. Wiest. n. 134. Proinde si quis extra Judicium ex verisimilibus causis appellet, ne in possessione molestetur, & postea spolietur, ante omnia restituendus est in pristinum statum, in quo erat tempore Appellationis interpositæ, ita, ut per viam Attentari agere possit non tantum adversus attentantem, seu spoliantem, sed etiam adversus quenlibet si ve malæ, si ve bonæ fidei possessorem, & fructus percepti eidem restitui debeant, salvo manente utrique parti Jure proprietatis, prout sumitur ex cit. c. & notant DD. allegati. Ratio est, quia non solum Lex prohibet aliquid innovari pendente Appellatione, sed generaliter pendente lite c. à memoria 1. & c. seq. ut lit. pend. nih. immov. atqui Appellatio extrajudicialis, cum minimùm sit provocatio ad causam, inducit litis pendentiam. Ergo &c.

Triplex tamen inter Appellationem **225** Judicalem, & Extrajudicalem quoad attentata notandum discrimen est. 1. In Judiciali revocantur omnia Attentata, licet non sint directè contra Appellationem c. non solum 7. princ. h. tit. in 6. in Extrajudiciali autem ea duntaxat, quæ sunt directè contra Appellationem, & non alia. Vall. hic §. 15. n. 5. Pirh. n. 245. Wiest. n. 135. & ab his cit. Ratio differentiæ est, quia Appellatio Judicialis, ut dictum est n. 98. etiam in uno articulo facta, in totum, & quoad totam causam suspendit Jurisdictionem Judicis, ideoque omnia revocantur; at verò Extrajudicialis non suspendit Jurisdictionem, ex quo extrajudicialiter proceditur, ideoque revocatur duntaxat, quod est in gravamen Appellationis, seu contra Appellationem. 2. Ut in Judiciali Appellatione Attentata revocentur, necesse est Appellationem esse intimatam Judicis, & parti; nam aliàs Judex, & pars, si ignorent appellatum esse, possunt de Jure procedere in causa, nec revocantur tunc per eos Attentata: Secus in Extrajudiciali, in qua revocantur, licet non fuerit intimata Appellatio. Vall. n. 6. Pirh. n. 248. & plures alij. 3. Extrajudicialis Appellatio erga quemvis, etiam non Judicem, tendere potest, & contra quam facta est Appellatio c. bonæ 23. de Elect. alioquin, quidquid actum est, revocabitur; Appellatio autem Judicialis propriè, ac directè tendit contra Judicem, ut is nihil interea mutet, indirectè verò etiam contra partem, ut nihil agat, per quod status mutetur c. cum teneamur 17. h. tit.

Quæ-



126 **Quaritur 8.** quæ sint privilegia Remedio Attentatorum competentia? *¶* plurima sunt, estque remedium hoc longè promptius spoliato, seu turbato in sua possessione, quam Interdictum *Unde vi*. Nam

1. In Interdicto *Unde vi*, quia est instar actionis, Ordo Judicialis observandus est, nec sine Libello, litis contestatione, & alijs, quæ in Ordinarijs Judicijs plerumque requiruntur, ad restitutionem pervenitur *c. accedens 2. ut lit. non contest.* at in revocatione Attentatorum, si notoria sint, non requiritur Ordo Judicarius, nec litis contestatione opus est, sed implorato officio mercenario de plano proceditur, cum sola citatione, & causæ cognitione, alijs solemnitatibus omisiss. *Abb. in c. bone 51. h. t. n. 16. & 17. Alex. ibid. n. 22. Vall. §. 16. n. 3. Pirh. hic n. 254. Wiest. n. 137.* Imò Judex ex officio, parte non petente, & sic non jure actionis talia Attentata revocare potest; quia per illa plus ipse, quam pars læditur, & lex, prohibens aliquid lite pendente innovari, contemnitur. *Gaill. l. 1. obs. 146. n. 7.*

127 2. Interdictum pro solis immobilibus, & contra eum duntaxat, qui spoliavit, spoliationem mandavit, aut eam suo nomine factam ratam habuit, ut *Tit. 13. à n. 1.* dictum est, locum habet. At verò Remedium Attentatorum etiam pro mobilibus, & adversus quemcumque sive bonæ, sive malæ fidei possessorem datur, sive deinde res illa scienter, sive ignoranter, sive per partem, sive per Judicem ad eum pervenerint *c. bone cit. c. ex parte 7. de testib. Vall. n. 5. Pirh. n. 254. cit. Wiest. n. 138.* Ratio est, quia etsi spoliium sit gravius attentato, Attentatum tamen, ut *n. præc. dixi*, etiam Judicem, & quidem magis, quam partem offendit, Legisque prohibitioni resistit.

3. Intentans Interdictum probare debet possessionem, & spoliationem. *c. consultationem 10. de offic. deleg. agens autem via Attentati sufficit, si probet possessionem, abstrahendo, an vis intervenerit, vel non. Abb. in c. bone cit. n. 19. Pirh. Wiest. l. cit.*

128 4. Agenti *Unde vi* opponi potest defectus notorius proprietatis *c. fin. de restit. spol. in 6.* item exceptio alterius spolij *c. cum dilectus 2. V. sed quoniam. & c. fin. de Ord. cognit.* neutrum autem obijci potest agenti remedio attentati. *Abb. n. 20. Vall. n. 1. Pirh. Wiest. l. cit.*

5. Agenti Interdicto potest obijci exceptio Excommunicationis; quia pro actore

habetur: at in agente remedio Attentati distinguendum est, an appellaverit judicialiter, vel extrajudicialiter; nam si primo modo appellavit, Exceptio Excommunicationis ei non obest, cum hujusmodi Appellatio magis sapiat naturam defensionis; obest autem, si appellet secundo modo, cum talis appellatio magis sit provocatio. *Decius cons. 200. col. fin. §. secundo, Vall. n. 4. Pirh. Wiest. l. cit.*

6. Agens Interdicto in Beneficialibus, & similibus causis secundum communem multorum sententiam, ad instantiam partis, aut saltem Judici pro sua informatione ex officio perenti, exhibere aliquando debet Titulum coloratum: non verò via Attentati post Appellationem innovata revocans; nam in hoc remedio nulla requiritur prioris status justitia, sed sufficit sola veritas, quòd aliquid innovatum sit *arg. c. bone, & c. ex parte cit. & DD. hæctenus allegati.*

**Quæritur 9.** quando, quomodo, & 129 coram quo Judice peti revocatio Attentatorum possit? *¶* *Ad 1.* peti potest in quacunque parte Judicij usque ad conclusionem in causa, non ultra. *Gaill. l. 1. obs. 146. n. 10. Vall. §. 15. n. 7. Pirh. n. 248.*

*Ad 2.* Petuntur autem revocari dupliciter, aut implorato principaliter officio Judicis pro ipsorum revocatione, aut accessorie prosequendo sc. Appellationem. Et hoc casu, quamvis super Libello Attentatorum contestata lis fuerit, si à causa principali separari queant, revocari ante sententiam definitivam poterunt; alias si talia sint, ut non possint rescindi, nisi per sententiam definitivam, ea expectanda erit, ut in casu *l. ebiographis 57. S. ab eo 1. ff. de Administr. tutor.* *Gaill. l. cit. n. 8. Vall. n. 8.*

*Ad 3.* cognitio de revocatione Attentatorum post Appellationem pertinet ad Judicem Appellationis. Colligitur ex *c. sollicitudinem 54. h. tit.* & ratio est, quia qui de principali cognoscit, is etiam de accessorijs, seu connexis cognoscere debet; id enim juris est in accessorio, quod in principali *arg. reg. accessorium 42. in 6.* atqui causa revocandi Attentata est accessoria causæ Appellationis, quippe ex illa dependens. Ergo &c. Ex quo sequitur, quòd Judex inferior, sicut non potest cognoscere de causa Appellationis, ita nec de Attentatis post illam, si contingant articulum Appellationis. *Pirh. n. 258.*

## §. IX.

## De Recusationibus.

## SUMMARIUM.

130. Quid sit Recusatio?

131. In quibus conveniat cum Appellatione?

132. In quibus differat?

133. Quando proponi debeat?

Krr 2

134